

DE RESTITV-
 TIS A CHRISTIANISSIMO FRAN-
 corum rege Francisco literis, Ioannis Copi Parisi-
 ensis Iurisconsulti oratio, ad Iudices academiæ pa-
 risiensis emendatores, in amplissimo iurispe-
 ritorum consessu habita, cùm de pro-
 posito fructuum iure esset re-
 sponsurus.



PARISIIS.
 Ex officina Christiani Wecheli
 sub scuto Basiliensi.
 M. D. XXXV.



(107) & 15931390

DE RESTITV-

TIS A CHRISTIANISSIMO

FRACORUM REGE FRANCISCO LITERIS, IOANNIS COPIS PARISIENSIS IURISCONSULTI ORATIO, AD IUDICES ACADEMIAE PARISIENSIS EMENDATORES, IN AMPLISSIMO IURISPE-

RITORUM CONFESU HABITA, CUM DE PRO-

POSITO FRUCTUUM IURE ESSET RE-

SPONSURUS.



DE RESTITV-
TIS A CHRISTIANISSIMO
FRACORUM REGE FRANCISCO LITERIS, IOANNIS COPIS PARISIENSIS IURISCONSULTI ORATIO, AD IUDICES ACADEMIAE PARISIENSIS EMENDATORES, IN AMPLISSIMO IURISPE-
RITORUM CONFESU HABITA, CUM DE PRO-
POSITO FRUCTUUM IURE ESSET RE-
SPONSURUS.
M.D.C.XXXV.

DE RESTITV-

TIS A CHRISTIANISSIMO

FRACORUM REGE FRANCISCO LITERIS, IOANNIS COPIS PARISIENSIS IURISCONSULTI ORATIO, AD IUDICES ACADEMIAE PARISIENSIS EMENDATORES, IN AMPLISSIMO IURISPE-

RITORUM CONFESU HABITA, CUM DE PRO-

POSITO FRUCTUUM IURE ESSET RE-

SPONSURUS.



Inter omnia, quae à veteribus illis & eruditissimis philosophis præclare & sapienter dicta memorantur Iudices, id mihi videtur pulcherrimum, & recordatione dignissimum, quod diuinum illum Platonem solitum dicere accepimus, beatissimas tum demum respublicas fore, cum eis literarum præessent studiosi, vel qui præessent literarum studiis sese addicerent. Etenim summam principis virtutem eam esse constat, quae recta, honesta, & vtilia præscribendo, æquitatis obseruantio-rem populum efficit. Quare is iustitiae assertor, non solum non esse, sed nec dici quidem potest, nisi & literarum & disciplinarum omnium vindicem se & assertorem profiteatur. Nam quocumque animu

AA ii &

& cogitationem conuerterim : video omnes bene & beatè viuendi, reiꝑ publicæ feliciter administrandæ rationes, monumentis literarum contineri. Ac prima illa omniumq; virtutum regina iustitia, tota ciuilibus literis comprehenditur: quæ si nõ modo oppressa, sed etiam deserta, aut negligenti us asseruata fuerint, omnem rerum humanarum statum confundi necesse est. Hæ sunt literæ, quæ nos vitam, corpûsq; & res nostras, tueri docent: aliena detrahere, alterum ledere vetant. Hæ sunt literæ, quæ noxios suppliciiis coercent, bonos præmiis honorant. Hæ sunt literæ, quæ ab insana improborû audacia tutam & securam innocentiam conseruât. Quanto igitur studio, quanta cura, quanta diligentia, eruditorum & sapientum præsidia disponere principes debent: quibus sacrosanctæ istæ literæ, aduersus omnes barbarorum iucursiones munitæ, atq; defensæ, conseruentur. Iam illa militaris ars, non ferro & armis: non viribus, & exercitatione corporum, sed quod minime pleriq; arbitrantur, literarum peritia comparatur: nam quæ sint iustæ bellorum suscipiendorum causæ, quales eligendi milites, qua ratione in officio continendi, quo ordine instruenda acies, quando committendum præliû, quibus artibus obsidendæ, capiendæq; vrbes, arcendi hostes, quibus præmiis victores honorandi, qua pœna transfugæ, & desertores adficiendi: omnes deniq;

deniq; disciplinæ militaris partes, summo ingenio summâq; eruditione prediti viri, suis libris copiosè & eleganter descriptas nobis reliquerunt. Sed quot quæso principum, regum, imperatorum res, ab omni æuo præclare, & laudabiliter gestas, insignes & facundi authores, suis scriptis illustrarunt? quas velut vitæ magistras quisquis imitandas sibi proposuerit, is rectè rempublicâ & feliciter administrabit. Quod mihi videtur prudentissimus ille Demetrius Phalereus probè intellexisse. Ptolemæo regi suadere solitus, vt libris de regno & imperio conscriptis daret operam: ex quibus & documenta sumeret, & cognita haberet ea, quæ ipsum monere amici non auderent. Non minorem sane publicis rationibus vtilitatem adferre videntur, à priscis illis & magnis oratoribus, de eloquentia & bene dicendi arte cõpositi libri. Quid enim prodest omnium rerum tenere scientiam, nisi sint homines disertis, & eloquentes, qui quæ recta & honesta sunt, sequenda: iniqua verò, & turpia fugienda esse, rudi populo persuadeant? Neq; enim fieri villo modo potest, vt imperitum atq; insolens uulgus ab illa reuocetur immanitate, nisi hominum bene dicendi peritorum oratione ad iustitiæ, fidei, & equitatis cultum alliciatur. Longum fuerit singulas persequi disciplinas, quarum studia eum summa ope cõseruare, ac promouere decet, qui prospere

re & incolumi reipublicę bene diuq; p̄esse cupit.
 Ac dum memoriam temporum explico, eorum lō
 gē latēq; propagata imperia, video firma & stabi-
 lia fuisse, qui literas literatosq; in pretio & honore
 habuerunt. Inter quos primus nobis occurrit Ale-
 xander ille Macedo, omnium imperatorum, quo-
 rū meminit antiquitas, vere maximus, qui à prin-
 cipe philosophorum Aristotele edoctus, eiusq; fre-
 tus cōsiliis, totum fere terrarum orbem adhuc ad-
 olefcens subegit. Et certē quanti literatos fecerit,
 & in quouis disciplinarum genere eruditos, mul-
 tis & prope diuinis honoribus, qbus eos dignatus
 est, declarauit: nam & memorē & gratum discipu-
 lum sese exhibens, pulcherrimam ex p̄ceptoris
 Aristotelis nomine urbem cōdidit: eidem tāquam
 imperatori, multis hominū milibus parere iussit,
 quicquid optasset concessit: intelligebat enim sa-
 pientissimus princeps nullum quantumuis ma-
 gnum p̄mium, ad parem p̄ceptoribus gratiam
 referēdam sufficere. Nec p̄ceptorem solum sed
 & alios doctrina & eruditione excellentes viros,
 apud eum in pretio fuisse, vel ex eo satis constat,
 quod captas bello Thebas cum euerteret, vt Pin-
 dari p̄natibus parceretur, edixit: pene tantū glo-
 rię in adibus excellentissimi poētę seruatis, quan-
 tū in oppressis hostibus reponens. Agē verò quā
 propēso, quāmq; ardenti in principem poētarum
 Homerum

Homerum animo fuit? cuius p̄clarum Iliados
 opus, vnā cum pugione, sub puluino iacens, tene-
 re solitus, rei militaris viaticum adpellabat: nō tā
 viribus suorum militum, quā cōsiliis, & exem-
 plis illustrium virorum, quæ ab egregio illo po-
 eta sumpserat, suas omnes victorias acceptas refe-
 rens? Neq; est quod quisquam tātum erga literas
 Alexandri studium valdē admiretur, cum huius-
 ce studii authorem Philippum patrem habuerit,
 quem (vt cætera singularis eius erga doctos bene-
 uolentię documenta omittā) nato sibi filio Alex-
 andro, hoc ferunt dixisse, sese gratiam deo habe-
 re, non solum, quod natus sibi esset filius, sed etiam
 quod eum tanti philosophi temporibus nasci cō-
 tigisset: sperabat enim, vt ab Aristotele edoctus at
 q; eruditus, imperii successionē dignus existeret.
 Non inferior in eodem genere laudis fuit potentif-
 simus Persarum rex Artaxerzes: qui doctrinam &
 literas tantopere est admiratus, vt quotquot nosset
 sapientia & eruditione commendatos viros, non
 prius putaret quiescēdum sibi esse, quā eum im-
 mensis muneribus inuitatum, etiam ex remotissi-
 mis totius orbis regionibus euocasset. Itaq; audita
 Hyppocratis illius fama, eum statim magnis pre-
 cibus, ingentibus pollicitis ad se vocandum cura-
 uit: nam maxima spes eum tenebat futurum, vt
 saluberrimis eius cōsiliis, tota sua respublica in-
 columis

columis conseruaretur. Quid quod Dionisius Syracusanus Tyrannus ad superbiam sauitiamque natus, Platonē liberaliter & honorificē excepit? Qui profecto si à sanctissimis diuini illius philosophi institutis non desciuisset, neque tam turpiter, neque tanto cum dedecore, hæreditario, & patrio regno expulsus, ad miserimam esset inopiam redactus: sed firmum, stabile, & perpetuū sibi, posterisque suis imperium retinuisset. Sed quid in recensendis externis & longinquis exemplis diutius immoror? cū tot domestica, eaque à nostra memoria non perinde remota exempla habeamus? Carolus magnus, qui totū terrarum orbem sui nominis gloria repleuit, nostrum istud omnium que vnquam viderint homines celeberrimum Parisiense gymnasium instituit. Admirandū me hercule & tanto principe dignum opus, quo vno omnium, quorum antea meminimus, principum gloriam mihi superasse videtur: illi enim semel profuerunt: sibi que tantum & suis temporibus prospexerunt: hic verò semper proderit. Nam sapientissimi quique & eruditissimi viri, quorum consilio & prudentia, nō nostra solum, sed & vicinarum nationum respublicæ sunt administratæ, & hodie quoque administrantur, in hoc nostro sūt gymnasio exercitati, quod ab hoc optimo principe institutum fundatumque est. Claruit olim Craneo gymnasio opulētissima Corinthus. A the

nas,

nas, Pœcile Zenonis, Academia Platonis. Licet Aristotelis illustrarunt: quæ tamē & si qua alia fuerint antiquorum gymnasia, si in vnum omnia cōferantur, cum hac nostra Parisiensi schola, non veniunt comparanda: ad quam velut literarum omnium & disciplinarum vberimum fontem, omnes finitimi populi liberos suos imbuendos erudiendosque amandare solēt. Quid memorem diuum Ludouicum, Philippum Pulchrum, Robertum, aliosque innumeros Gallie nostræ christianissimos principes? qui omnes non diuinarum solum, sed & omnium humanarum artium acerrimi propugnatores extiterunt. Non enim latebat providentissimos illos principes, omnia quæ sunt in imperio, ab iis defendi & firmari: qui doctrinæ & eruditionis laude antecellunt: eorumque consilio perfici vt bene institutam rempublicam ab omni violentia, seditione, tumultu, liberam & tranquillam habeamus. Cedant igitur castra gymnasiis, enses calamis, arma libris, militia doctrinæ, primum que in republica locum obtineat ea facultas, quæ principatum reipublicæ querit, questumque sola tueretur & retinet. Facebant proterui illi, & clamosi marcescentis ignorantia precones: qui perfricata fronte, & impudenti ore, in omnes disciplinas debacchari non verentur: & veluti bellissimum suæ inscitia patrociniū nacti, sanctam rusticitatem

BB

simplicemque

simplicemque probitatem, cum tamē improbissimi sint & cōtaminatissimi, inflatis buccis passim predicant. Aiunt homines inertissimi, neque doctrina, neque arte, sed natura viros bonos fieri: & sine literis prudentiam comparari: rudemque illam & incultā, non studio quaesitam, sed natura insitam sapientiam, ad res maximas & publicē & priuatim gerendas plurimum conferre, multosque homines quondam in administrandis rebus publicis fuisse versatos, & nunc quoque versari: qui sine literis & sine doctrina, solam naturae legem veluti ducem secuti, clari, & sumorum virorum laude digni extiterunt. Contra verò plurimos artibus & disciplinis eruditos, crudelissimā exercuisse tyrānidē, beneque cōstitutas respub. funditus euertisse. Sit ita, ciuitatibus nonūquam profuisse indoctos & literarum imperitos: an propterea eo impudentiae homines pecuni deuenient, vt ignorantiam affectandam asserere auisint? quasi verò inertia ipsa atque inscitia, rebus agendis conducatur, ac non potius eximium quoddam, atque illustre ingenii lumen, quod cum bonarum artium studiis excultum fuerit, tum omnibus numeris absolutū, perfectissimum existit. Atque vt imperitia prodesse, ita doctrina obesse nunquam potest: nam & si non desint callidi quidam & improbi homines qui literis & scientia ad labefaciendas respublicas peruersē abutantur: id tamen non

ab eruditione, sed ab innata prauis animis malitia profiscitur. Quapropter non ipsa disciplina, damnanda, non earum professores lacessendi, nō ab earum studio absterreri iuuenes debent: alioqui & optima quaeque mortalibus à deo concessa & data, reiicienda prorsus & repudianda essent: propterea quod vsu venire quotidie videmus, vt ea quauis sincera & sancta, homines tamen flagitiosissimi inficiant atque deprauent. Sed quo magis honestissimas disciplinas horum detestanda improbitas suppurare pergit, eo magis sunt omnes boni ad eas perdiscendas prouocandi: quarum praesidio freti, perniciosorum ciuium consilia frangere, eorumque nepharios conatus reprimere possint: quod sane rudis illa & literarum experta simplicitas nunquam praestabit. Qui enim fieri potest vt imperitus artis, artem deprehendat, tantum abest vt eludat? nam & sceleratam illam pestiferamque Catilinæ coniurationem M. Cicero non vi & armis, sed singulari (quam ex studio literarum erat consecutus) prudentia extinxit. Itaque probi quidem sed indocti & imperiti ciues, vt suae moderationis & continentiae exemplo rempublicam non nihil adiuvant, ita eandem grauissime laedunt, cum propter inscitiam seditiosis resistere ac innixam, praesidio literarum, audaciam, reprimere nequeunt. Neque hoc solo nomine inuiles sunt, sed vel de

maxime ob id quod de rebus gerendis, tanquã cæci de coloribus, & surdi de harmonia iudicant: atque obliqua pro rectis, iniqua pro æquis, turpia pro honestis, noxia pro utilibus, deterrima pro optimis constituunt. Quid est igitur perniciosius ignorantia? quid pestilentius? quid peius? Quid autem est optabilius doctrina? quid præclarior? quid conducibilius? Ac mihi quidem verissimum videtur esse Socratis illud, vnicum esse in rebus humanis malum inscitiam, vnicum bonum scientiam. Illa velut turbidissima corruptissimorum imbrium, hoc est errorum cisterna saluberrimum alioqui vicinarum regionum aërem prorsus inficit. Hæc veritatis fons limpidissimus, purissimis & leniter fluentibus aquis omnes infectæ vicinæ sordes abluit. Illa improvidos homines, & temerarios in gravissima pericula præcipites agit. Hæc sui studiosis, prudenter omnia & considerate agētibus, perpetuam præstat securitatem. Illam scelestorum omnium & vitiorum turba comitatur. Hæc virtutum omnium est magistra. Illa liberos populos in servitutem redigit. Hæc oppressos tyrannide, afferit in libertatem: Illa munitissimas vrbes fūdītus euertit. Hæc lapsas erigit: Illa firmissimas, & bene cōstitutas respublicas labefactat. Hæc perditas omnino & dissipatas restituit. Quare inter omnes qui in publicis rebus bene administrandis floruerunt,

floruerunt, ii mihi præclarissime fecisse videntur, qui propellendæ ignorantia, instaurandaque rei literaria, operam dederunt: nam eorum singulari prouidentia factum est, vt humanum genus miserime alioqui periturum, ac in feritatem degeneraturum, stabile, firmum, mentisq; & rationis compos permaneret. Vbi nunc rerū humanarum basis religio iaceret? si in caligine, & tenebris sacre literę perpetuò dilituissent? Videremus eam squalore sitūque obductam, orbemque christianum ad stultam superstitionem desciuisse. Quod tantum malum ne longius serperet, ab iis perfectum est, qui eximia virtute, fortique animo, diuinam illam euangelicamque philosophiam, ab ethnicorum obsidione liberarunt? Quot myriades hominum, qui sano adhuc & integro corpore rempublicam magnopere iuuant, morbis à quibus conualuerūt, essent confecti, si non aliquis Hypocratem, Galenum, aliosque maiorum gentium medicos, scēdissima barbarie corruptos, pristino candori restituisset? Nunquid iam totus Aristoteles nobis exciderat? num etiam præclaræ illæ artes mathematicæ pessum ierant? ni reipublicæ caussa, quæ perditis his disciplinis iacturam non modicam erat factura, summa eruditione præditi viri, ridiculos illos tantūmque ad rixandum natos sophistas expulissent, ab eorumque ineptiis has libero homi

ne dignissimas artes vindicassent : Quid dicam de prima illa omnium disciplinarum grammatica, quam integram conseruari quantum reipublicæ intersit, vel ex eo intelligunt omnes, quòd cæteris viam aperiat . Quæ cum ita sint qua tandem laude christianissimum regem franciscum dignū esse iudicabimus qui teterrimo crasse rudisque ignorantix vitio multis iam sæculis impeditam ac prægrauatam nostræ academix linguam liberauit, eamque vocalem ac mirè suauiloquam reddidit. Expulsis enim mutis & balbutientibus magistris, honoratos amplissimis præmiis disertissimos homines asciuit: qui eam profiterentur disciplinā quæ de magnis mire & sublimiter, de mediocribus iucundè & grauer , de paruis proprie & subtiliter, de omnibus sententiose & luculenter dicere perdocet . Atque hos non ex latio tantum, sed ex celeberrima illa Palladis vrbe euocandos esse putauit. Voluit enim sapientissimus princeps suam rempublicam per Atticos professores omnium disciplinarum gloria illustrari : non ignorans eas ipsas ab illis inuentas nos accepisse : nostramque linguam græcæ imitatricem , sine eius cognitione mancam atque debilem fore . Nec sese arbitratus est suæ reipublicæ satisfacisse princeps sanctissimus: nisi sanctissimæ linguæ, id est, hebrææ professores institueret: sanctissimam hanc linguam optimo

mo iure dicimus: qua propheta, qua apostoli, qua ipse quoque Deus & salutis nostræ assertor Iesus Christus semper est locutus: Quid quod philosophia atque omnes mathematicæ artes ab hoc eodem sunt principe illustrissimo restitutæ? Hisque summo studio & singulari virtute feliciter peractis, non tamen optimus princeps cessatorem agit: quin potius difficillimam , eamque præstantissimam totius rei literariæ partem, nunc instaurare constituit : nempe hanc nostram iusticiæ & æquitatis disciplinā, in cuius sinu ac tutela serenus tranquilluscque beatæ vitæ status adquiescit. Ex ea enim discimus quàm sanctè, quàm piè, quàm religiosè parentes, qui vt essemus nobis dederunt, sint colèdi, quàmque horrendis suppliciis adficiendi sint ii, qui sanctissima illa naturæ & sanguinis iura, effrenata quadam immanitate violare audent. Eadem magistratibus, quorū descriptione omnis reipublicæ moderatio continetur, imperandi modū præscribit: quem qui secuti fuerint principes, sequentur autem omnes qui sua stabilire imperia & firmare volent, ii certè nunquam cōmittent, vt subditis sibi populis, iniusta & perniciofa præcipiāt, sed rationi & æquitati consentanea: quibus & salus ciuium , ciuitatūque incolumitas conseruetur. Sed quid est humano generi optandum magis quàm societatis & amicitix conseruatio? studi
ofus

sus & diligens fidei cultus? digna laboribus & meritis remuneratio? grauis atq; seuera scelerum vindicta? tranquilla innocentum vita? Ad hæc omnia sola nobis tribuit iurisprudencia. Hæc nomen populis, hæc laudem principibus parat, hæc orbis terrarum pacem conciliat, omnes forenses & bellicæ res, priuata omnia & domestica negotia in præsidio iurisprudentiæ latent: qua sublata tollitur omnis ratio, & vitæ degendæ, & rerum gerendarû. Quamobrem singulare nostri principis in prouidendo consilium, satis admirari nequeo: qui reuocatas humaniores disciplinas diutius stare non posse prospexit, nisi earum quoque principem iurisprudentiam in integrum restitueret. Atque uti nam nostris istis temporibus alter superesset Tullius, qui digna oratione, tam eximiam nostri principis, tamque admirabilem in prouehendis disciplinis virtutem, posteris commendaret. Sed quid dico digna oratione quasi vero virtuti tam illustri principis possit par oratio inueniri? quid est quod quisquam aut diguum illo, aut nouum cuiquam, aut inauditum possit adferre? Non cum pigmeis, non cum deligatis, non cum mollibus & effœminatis hostibus dimicauit noster Franciscus, nõ mediocriter certamen iniit sed grauissimum aduersus feros illos atque immanes barbaros, bellum gerendum magno & forti animo suscepit, solusque

summo

summo studio & admirabili perseuerantia confecit, solus audacissimos bonarum artiû hostes profligauit, solus oppressam barbarica tyrannide nostram academiam liberauit, solus expulsas suis sedibus musas restituit. Nunquam profecto satis dignè laudari poterit tãtus hic princeps, qui quasi de cœlo lapsus, diuino consilio, singulari prudentia, eximia & incredibili virtute, tam insignem victoriam reportarit. Triumphauit de Chartagine Scipio. Triumphauit de Persis Alexander, Triumphauit de Gallis Iulius Cæsar. At his omnibus longè clariorem triumphum, noster Franciscus agit. nam de barbaris, Gothis, indoctis, imperitis, hostibus bonarum artium cõiuratis simis triumphat. O principè omnium post natos homines illustrissimum, O populum tali principe felicissimum, ingratis simum verò, si tam humani principis beneficia non agnoscat. Agnoscamus igitur & cum musis principem nostrum commendemus qui nunc sacratissimas iurisprudentiæ ædes, à Gothicis illis tyrannis deuastatas, instaurare, earumque custodiam & curam iis committere instituit: qui boni & equi peritia freti, sacra venerandæ huius deæ rite & solenniter peragere norint. Quod laudatissimum institutum, vobis potissimum iudices, optimus princeps exequendum demandauit: fideique vestræ & diligentiæ hoc commisit, vt ex numerosissima iurisprudentium co-

horte, exercitatissimos paratissimosque deligatis, quos tanto muneri, tamque præclaro præficiendos esse puteris. Atque ut in cæteris rebus, libidinem, odium, inuidiam, metum, cupiditatesque omnes, amouere, sed habere in consilio, legem, religionem, æquitatem, fidem, soletis: ita prudenter, rectè & constanter, de hac causa statuatis: bene probatos à vobis esse oportet eorum prudentia, eruditio, diligentia cognita vobis & perspecta esse debet, quos tanto honore dignos iudicetis, non de abecedariis præceptis, non de pedaneis iudiciis sed de summis Astrææ sacerdotibus deligendis agitur. Provide te iudices circumspiciatissimi, ne ex eius sacrosanctis sedibus eiecta exturbataque barbaries, vi vel clam earum possessionem rursus inuadat: & ab earum aditu doctissimum quemque prohibeat, ab hoc periculo prohibete rempublicam, propellite indoctos eos à doctis secernite. Satis diu intolerabilem barbarorum tyrannidem perpeffa fuit iurisprudentia, satis diu fuit in miseris, satis multos annos laborauit: vos qui æqui estis omnibus restituite incolumem eam disciplinam, sine qua diu esse incolumes non potestis: conseruate eam, quæ sola vos, liberosque vestros, totam denique vestram rempublicam conseruat, liberate eam quæ vos in libertatem asferit: eripit eex miserrima seruitute eam, quæ vos in seruitutem redigi non patitur: recte hoc repeti-

tur

tur à vobis: uestri est animi, atque virtutis, vestre dignitatis, vestri est auxilii, debilitatam multis incommodis iurisprudentiam vestra æquitate reficere & recreare. Quare in vos iudices integerrimi, vestraque diligentiam sese tota conuertit respublica, vos omnes boni, vos omnes docti, vos melioris literaturæ amatores intuentur, omnium oculi in vos coniecti sunt, magna omnium de vobis expectatio, quæ certe vos reipsa superaturos prospicio, ut qui omnis aliis grauioribus causis toti in hanc restitutionem incumbatis: quam si per vos obtinere liceat, omnes iuris studiosos addictos vobis, deditos, & obstrictos habebitis. qui tanti huius vestri beneficii memores perpetuis laudibus nomen vestrum immortaliitati commendabunt.

Dixi.

Erratū. pagina BBii uers. ult. lege. sed uel maxime



